Cabala, speculum artis et naturae, in alchymia; exinde, quid, lapis sophorum antiquissimus, rei sit, qui triplex, & tamen simplex lapis existit : Omnia hactenus ex variis etiam scriptis paucis observata, singulis laboriosis amatoribus artis honoris ergò, deo annuente, tam perspicuè ac lucidissimo speculo, proposita, et quatuor aeneis laminis incisis picturis exhibita / Per ignotum, attamen notum, sicuti insignia prima figurae insculpta testantur, nunc è Germanico, Latnio [sic] versa à strenuo sapientiae cultore, et unâ cum praestantissimi cujusdam philosophi diagraphe hujus ipsius argumenti, Roseae Crusis Fraternitati dicata edita. Quò hac in materia amplius nil desideretur.

Contributors

Michelspacher, Stephan.
Sloane, Hans, Sir, 1660-1753
Atwood, Mary Anne, 1817-1910
British Library
Roseae Crucis Fraternitati.

Publication/Creation

[Augsburg] : Impressum typis Andrea Erffurt, sumptibus Joannis VVeb ..., 1654.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/jfq8c5ws

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



Thomas South.

217 A J & M Sturrock
1859

C.4

N.VI.6

36700/B

17

MICHELSPACHER,
Steffan

~~Probably~~ Sir Hans Sloane's copy

S
A

Om
va

Stre

C. 819
45626.

CABALA,

SPECVLVM ARTIS ET NATVRÆ, IN ALCHYMIA;

Exinde,

Quid, Lapis Sophorum antiquissimus, rei sit, qui triplex, & tamen simplex lapis existit.

Omnia hactenus ex varijs etiam scriptis paucis observata, singulis laboriosis amatoribus artis honoris ergò, Deo annuente, tam perspicuè ac lucidissimo speculo, proposita, & quatuor æneis laminis incisis Picturis exhibita.

Per

Ignotum, attamen notum, sicuti insignia primæ Figuræ insculpta testantur, Nunc è Germanico, Latnio versa

à

Strenuo Sapientiæ cultore, & vnâ cum præstantissimi cujusdam Philosophi Diagraphe hujus ipsius argumenti, Roseæ Crucis Fraternitati dicata edita, quò hac in materia amplius nil desideretur.

Impressum Typis Andrea Erffurt, sumptibus Ioannis VVeh, Bibl: Aug:
ANNO M. DC. LIV.

MVSEVM
BRITAN
NICVM
DUPLICATE
FOR SALE 1762

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

EXCELLENTISSIMO CLARISSIMOQVE VIRO, DOMINO IOHANNI REMMELINO SVEVO-VLMENSI, PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI celeberrimo,

Domino & fautori meo piè colendo.

Xcellentissime Clarissimeque D. Doctor, plurimùm observandæ, Quantis petitionibus & rogationibus olim Excellentia tua ex mera propensa affectione tam meiipsius quam etiam laudatissimarum præstantiumque Artium & scientiarum, comprimis veræ Medicinæ & Philosophiæ ergò (vt rudis ego singularem istarum cognitionem & experientiam, qua Excellentia tua præ alijs à Deo donata excellit, interim conticeam) communicando tradiderit Opusculum Anatomicum, de admiranda Fabrica & conditione, Omnium & singularum Corporis, nobilissimi intra Creaturas Hominis, partium, artificiosissimè depictarum, & justa proportione invicem, ac si vivum quid repræsentarent coägmentatarum CATOPTRUM MICROCOSMICUM in-

ſcriptum, vnâ cum earundem brevi at dilucida deſcriptione, PINAX MICROCOSMOGRAPHICUS titulata & latinè concepta recenti Ea ipſa procul dubio recordabitur memoria.

Cum autem anatomicum illud opuſculum in dies ab eo vſque tempore publicare conſtitueram, & longius quò minus animi ſenſa in actum deducebam obſtaculis varijs impeditus fueram, nihilominus tamen, inſtanti plurimorum Doctorum quibus viſum Anatomiæ opus maximè arridebat monitu obtemperans cum Excell. tuæ conſenſu ſanè difficulter nacto tãdem illud antemenſem modò luci dederam ſolùm admirabar, ſummæ tuæ Excellæ. modeſtiæ id aſcribens, quod ea concedere opus iſtud præfixo Autoris nomine prodire nolebat, cum tamen effigies & inſignia frontiſpicio Catoptri inciſa inſpectorem de eo erudire & informare potuerint.

Verùm quia Præſtantiſſimo Nobiliſſimoque viro, Dño Philippo Heinhofero, Patritio Auguſtano clariſſimo, Catoptrum iſtud vnâ cum Pinace, conſiderando, in quantum Nobilis eius pręſtantia iſtiusmodi Artificiorum ſingularis amator dexterrimusq; eorundemq; æſtimator exiſtat, ſimulque ea ipſa Magnatibus & Principibus viris, quibus omnibus & ſingulis celeberrimæ eius Pręſtantiæ virtutes, nunc nunc, vt gratijs eorundem promeritis maximè fruatur, innotuêre, commendare ſciat, adhæc & meipſum favore clementer maximo proſequatur, humiliter à me dicatum & tanquam digniſſimi Patroni tutelæ oblatum erat, at tàm ipſe Nobiliſſimus Heinhoferus ex mera delectatione, & nunquam ſatis laudanda affectione, qua præſtans ipſius virtus flagrat erga eiusmodi artificioſa Machinamenta, quàm alij plures ſummi Technophili, viri doctiſſimi, nomen Authoris inſtanter inſtantius inſtantiſſime cognitum tanquam debitum laboris trophæum efflagitaverant, & citius tactus Anatomicus labor & tractatus quam ſollicitationibus meis poteſtatem præfigendi & notificandi Nomen conſecutus

ſecutus eram impreſſus fuerat, idcirco hac oblata occaſione accepto ſcilicet præſente, Doctorum certè & eruditorum judicio, de SOPHORUM LAPIDE non inconvenienter, ſed vtiliſſimo tractatulo, ab Authore ſubobſcurè in eo nominato, elaborato, eum Excell. tuæ ſubmiſsè offerendo & aſcribendo efficere conabor, partim vt plurimorum Anatomias admiratorum in notificando repetita me herclè petitione vix obtenta concesſione, Microcoſmici Catoptri, eiusq; Pinacis Microcoſmographici Authore, deſiderio obviaretur, partim vt Excellentiæ tuæ, amore & cupidini, memoratæ à natura quaſi innatæ inter cæteras liberalia ingenia decorantes artes & ſcientias, etiam veræ Chemię aliquo modo ſatisfieret, partim & vt quo vſque divino auxilio commoditatem dexteriorem nactus fuero, aliquatenus interea debitam tuæ Excell. ob multifaria hactenus in me collata beneficia gratitudinem meam declararem & manifeſtarem.

Hiſce Tractatulum hunc ſerena fronte ſuſcipi, & in poſterum favore & amore me proſequi & tuam Excellent. cum ſibi clarioribus benignæ Omnipotentis tutelæ quemadmodum & meipſum ab eius integritate complecti peto. Datum Auguſtæ 15. Januarij, Anno M. DC. LI.

Tua Excell:

ſtudioſiſsimus.

Stephanus Michelſpacherus
Tirolenſis.

Candidum Lectorem versionis hujus Author salutat.

BEnevole Lector cum Picturis hinc inde teutonica lingua incisa quæ alijs nationibus facilè afferrent impedimentum, plurima occurrant, & in diexodo minoris experientiæ homini obscuriora quędam videri possunt, itaque necessarium duxi Autoris labori & contextu eorum interpretationem juxta se positam prępmittere, horum verò vberiorem declarationem, præstantissimi at anonymi Philosophi, brevioris discursus, adjectione, subnectere; hoc Boni, boni consulent, Vale.

Interpretatio eorum quæ Germanicè Picturis inscripta sunt.

Pictura prima Tractatuli quasi titulus.

1. Spiegel der Kunst vnd Natur.
Natur.
Kunst.
Cabala vnd die Alchimey
Geben dir die höchste Artzney
Darzu auch der Weisen Stein
In dem das Fundament allein
Ligt/wie für Augen zusehen ist
In disen Figuren zu der frist.
Ach Gott hilff daß wir danckbar (seyn
Für dise Gab so hoch vnd rein
Wañ du nun auffthust hertz vñ siñ
Der da vollkommen ist hierinn
Zubereiten hie dises Werck
Dem sey gegeben alle Stärck.

1. Speculum Artis & Naturæ.
Natura
Ars.
Cabala & Alchymia, summam tibi exhibent Medicinã, insuper etiam Sophorum Lapidem qui vnicum existit fundamentum, quemadmodum in hisce Figuris videre licet.
Faxit Deus vt grati pro prę-stanti & maximo hoc dono simus, Deus siquidem cum alicui mentem & corda aperis, vt hîc ad hoc præparandũ opus perficiatur, illi omnem sanè largiris fortitudinem.

Heiß/

Heiß/ Kalt/ Trucken/ Feucht/ Erd/ Wasser/ Lufft/ Fewer.

Calidum, frigidum, siccum, humidum, Terra, Aqua, Aër, Ignis.

Pictura Secunda.

2. Anfang: Exaltation.
Natur / Salmiac / Tragant/ Essig/ Zinober/ Bley/ Drackenblut / Eissen / Farb der Werck/ Grad deß Fewer / Haupt deß Rabens/ Kupffer.

2. Principium: Exaltatio.
Natura, Salarmoniacum, Tragaganthum, Acetum, Cinnabaris, plumbum, Sanguis Draconis, ferrum, Color operis, Gradus ignis, caput corvi, cuprum.

Pictura Tertia.

3. Mittel: Conjunction.
Tinctur/ Coagulation/ Distillation/ Putrefaction/ Solution/ Sublimation/ Calcination.

3. Medium: Conjunctio.
Tinctura, Coagulatio, destillatio, putrefactio, solutio, sublimatio, Calcinatio.

Pictura Quarta.

4. End: Multiplication.
Der Brunn deß Lebens.

4. Finis: Multiplicatio.
Fons Vitæ.

Sequitur Authoris Diexodus, seu ipse contextus.

INTROI-

INTROITVS AD LECTOREM HVIVS ARTIS.

LEgens ſine intellectu, cum oculis plura videat, at eorum nil ſapiat, vmbræ parietis rectè aſſimilatur, & miſerior eſt, omnimodè cœco, qui non videns intelligit. Quare vertens ſpeculum, ſummatim obſervabis, omniaquę in ſpeculo videnda ſunt, nimirum devia & labyrinthos nullos ſubeſſe ſed rectam tranſire Circulum planè lineam, & ternarium in quaternario locatum per vnitatem in centro comeare, & viciſſim è Centro in Ternarium per quaternarium ad Circulum liberè ferri. Hinc totum conficitur ſpeculum in quo Cæcus, nigrum, album, & rubrum, aliàs luto immerſum videt. Exinde myſterium revelatur, & craſſum vinculis elementaribus liberatur, ſubtiliaturque quò centies, milliesque & ſine fine augmentetur; felix ſanè hoc qui ita perficit. Hæc pro certo ac Artis perfectionem ſtrenæ loco cuivis offero.

PROLOGVS.

DIlecte in Chriſto, Benevole lector, Cum quæque & Artes & dona in omnipotentis Dei manu ſint, ad ea pro ſua miſericordia eroganda cui vult, ſic me ac ſuam Creaturam & miſerum hominem in Mundo hoc corruptibili miſericordia perfudit & in præſenti hoc labore maxima gratia circumdedit, cum me indignum præſtantia ſua myſteria revelare vocaverit, qui ac Omnipotens Deus multis alijs, ea, virtutibus, honore, doctrina & hujus mundi dignitatibus plurimis me paraſangis præcellentibus concedere & largiri potuiſſet.

Quare

Quare cum à Deo mihi lumen concessum, ut ipsi ex inde laus & proximo commodum, conveniet, ut illud non scamno sive labro subdam, sed mensę imponam, quò quivis adveniens & ingrediens, videat & intelligat, quid sibi agendum aut intermittendum hoc in negotio fiet.

Idcirco mihi proposui; simplicissimè lumen illud, tanquam Speculo, Plebeis mei similibus, in figuris seu picturis proponere, & per Cabalam Alchimiæque artem, omnibus techno: & physiophilis laborumque Spagiricorum expertis communicare, in quibus sicuti spero absolutam speculi cognitionem præ oculis habebunt, ut inde ad nutum & voluntatem fructus & vtilitates decerpant, & prius quidem Corporis Humani vitæ & sanitati conducentes, posterius etiam Christianæ decentem temporalem sustentationem tam Corporis quàm animæ vberrimam ad vitam æternam inveniant.

ARS.

O Principium considera finem, mox o finis considera a principium. Nam Chalybs & Speculum ego, artis solum amatoribus, tàm longè at juste quasitum largior. Nam quivis hinc brevibus viam & iter ad verum perveniendi locum cognoscet. Quare meo fruimini consilio, & officinas visitate fabriles si voti compotes reddi velitis, quia in Marte satis iracundo saccharum invenietis pratiosum. In arte enim nihil scit, qui in Marte laborare respuit, nec temporis finem, pro ut prælians comperiet, invenit, propterea quod ejus Balsamus omnia balsamizat, & cuivis scientiæ seu Artis facilitatem monstrat. Nam punctum intrat Circulum, qui & in quadrangulo & triangulo reperitur. Hoc punctum si attingitis, perfectionem consequimini & omni tribulatione, miseria & periculo evaditis. His integram habetis artem, quam si non intelligitis incassum erunt quæ scripsi, at culpam ipsismet vobis imputate & istis secedite.

EXPLANATIO ARTIS.

IN Cœlesti hoc speculo, veritate artis & naturæ, cœlestialiquo coöperante igne, facultate & potentia radij ex chalybe tribus distinctis formis elicito, & clarissimè diaphano reperto, videre potui singula quæ oculi imò Cœlum & terra capi potis erant.

Primùm enim Speculum jucundo Saphyri colore, ignea proprietatis, plurimo albo conspersum inveni, cujus gratia vidi, Mercurium & Sal sapientum tam manifestò, ac si in mea manu essent.

Hinc aliud speculum vi & virtute puri chalybis adeptus fui, in quo vidi sulphur Sophorum instar floris chelidonium dicti, tàm divitis salis naturæ vegetabilis quasi crescendo & augendo, vt florum ibidem ad sufficientiam decerpere non potuerim, tàm fructuosum hoc in speculo mihi comparuit.

Tertium Speculum ex hisce duobus speculis perfectè prosiluit, ignea planè rubedinis & instar ignis, parum per enim agitatum statim incalescebat & vti purus ignis inflammebatur, ita vt sine timore illud manu prehendere non debueram, quia quod edico vidi divinam potentiam maximumq; arcanum intus latitare. Nam Sapientum ignem ibidem inveni, cujus beneficio omnia in omnibus maturantur, mediante visibili elementali igne, qui ignis plurimis quæsitus, paucis verò inventus erat.

Tria nunc hæc specula sedula diligentia, Artis spagiricæ ope, vni conjunctim speculo conclusi, in quo & Deum & omnia cum pauperum gazis perfectissimè quando libet video; vnde nuncupari thesaurus thesaurorum rectè meretur. Illud sollicitè ne furto mihi auferretur, aut cum eo alijs noxia inferretur apud me custodio.

Hinc indubitanter spero, hunc tenuem diexodum Sapientibus sat declaraturum fore, quomodo Picturæ hæ, fructum spagiricæ artis amatoribus producent, modò cum Deo & Natura conciliati sint, tùm plura in hoc speculo, quum vel ego vel alij describent, ex nunc descriptis & propositis, inq; figuris, hisce ad inveniendum significatis elicient.

Verùm hæc solùm veræ & solidæ Alchymiæ ac Artis spagiricæ studiosos laborumq; chymicorum expertos concernunt, quibus & minima naturæ occultæ & arcana patefient, medio graduum seu scalarum ordine in labore terendarum, Ex: gr: Figura Numero I. indicat gradum Calcinationis, sub qua etiam Reverberatio & cummendatio intelligitur. Figura secunda, Gradum Exaltationis exhibet, quæ sublimationem & Elevationem vnà cum destillatione comprehendit. Tertia Figura Conjunctionem notat simul cum putrefactione, solutione

solutione desolutione, resolutione, digestione, circulatione. Quarta figura, in se Multiplicationem continet, sub qua ascendere, lavare, inhibere, cohobare, nec non coagulare, figere, augmentare, tingere latet.

Per hos gradus ascendendum, hanc viam transituris, vt sc: tria specula in vnum speculum conferantur, mediantibus principalioribus quatuor columnis, ac Philosophia, Astronomia Alchymia & virtutes sunt, & Alphabeto secunda Figurae, in circuli limbo de litera in literam veram huius Artis materiam planè & perspicuè declarante. Quare cum A. B. C. & characteres ordine innotescunt, facilè hîc videnda videbis, quemadmodum & in prima & tertia Figura quatuor qualitates ac sunt Elementa, Calidum siccum frigidum & humidum, quae edocent veram primam & vltimam Materiam, cuius gratia omnia consequeris, sicuti brevibus descripsi, at plura addere intermitto, cum ante me praeexcellentes, illuminati & doctissimi Dei viri, de istiusmodi etiam scripserint: maximè quia Tyronibus quae fieri poterant hîc proposui, ex quibus majorem ipsis fortè conducentem intellectum haurient.

Nam multa scriptio parum vtilitatis affert, siquidem omnia quatuor his Figuris, vti spero, satis in propatulo Verùm cum intellexero, Artis huius amatores hic non contentos esse, sed vlteriora requirere, haud vetitum penna ea ipsa meliori ordine & fundamento Experientia comprobata vestire. Brevi enim libellus subsequetur si Deus & tempus ferent, qui de puncto in punctum, in quatuor partes dividetur ad duarum columnarum in prima figura de Natura & Arte videndarum, normam.

Interim simplici hoc proposito huius mei speculi, ac prodromo contenti estote, & recordamini humilibus potius sublimia obversari, quam superbis. Cum altiores oculi, exilem intellectum haud requirant. Quare ijs solùm qui artis, spagiricorumq; laborum gnari sunt praescriptum & propositum speculum praesens est.

Epilogi vice antiquissimi Lapidis

Declaratio.

HIs concludo; Fundamentum in arte chymica est summa Medicina, quae flosculus compositus existit dignissimus à Deo creatus & extructus, Aqua viscosa, primum Ens, prout sapientes edocent, Nam ex arte nostra Natura, tanquam summa tinctura enascitur, in qua tria sunt principia, ob qua

& noster lapis triplex est, Mineralis, animalis, vegetabilis, hoc est Corpus, anima & spiritus, ab ipsa sic productus Natura, instar mellis dulcis, humidumque Sal, Lunaris, liquidus instar butyri, Solaris, Leo, viridis, occultum sulphur, lucrum sophorum, animæ corporis præstans. Quinta essentia, noster ignis, flos generationem efficiens, quem præter ignis alius operare nil potest.

Sophorum ignis Ars est, cum sine eo labor omnis irritus, quanque centum milleque laborares annos; tamen hoc sine omnia incassum susciperes, nec vllam perfectionem attingeres, sed cum tempore & pecuniam perderes. Quare diligenter studijs invigila & certò inquire, Ignem absque lumine & carbone, spirituq; vivicante vtere, qui emortua exuscitet metalla, supernaturalis enim hic ignis est, viva calce & equino stercore abditus, notabis tamen etsi pluribus per hæc liberaberis molestij, idcirco finem istis adipisci non posse, & propterea in equino inquirenda stercore non esse; stolidum siquidem ludicra istiusmodi, quæ subsannationes omnium facilè promererentur tractare. Quare antiquissimum notum tibi fac lapidem & voti compos fies. Felicissimus qui à Deo donum hoc consequitur.

Autoris contextus.

Sequitur diagraphe anonymi Philosophi Fraternitati dicata.

Discursus brevior, sive specimen tenuitatis Philosophiæ sacræ & Medicinæ summæ.

JEHOVA TRIUNUS

omnia ex nihilo.

Spiritus Dei ferebatur super aquas.

chaos:

Primum HYLE sapientum omnia ex aqua sunt creata,

Firmamentum, Mineralia, Vegetabilia, Animalia.

MACRO-

MACROCOSMUS

ex Centro & Quinto

Esse

MICROCOMUS

Omnium Creatorum Creatura perfectissima

HOMO

Imago Dei altissimi

Anima immortalis; Ignis cœlestis invisibilis.

Ab lapsus: En MESSIAS.

Lumen gratiæ & Naturæ.

LILI: prima Materia corporis perfecti.

Matrix Medij Cosmi.

Balsamus & Mumia

Magnesq; Magicus in Microcosmo incomparabilis.

Aqua sapientum, ex qua omnia, & in qua omnia; qua omnia regit; in qua erratur, & in qua ipse error corrigitur.

Mens Sana in Corpore Sano

Preces indefessæ:
Patientia & Mora

Materia, vas, Fornax, Ignis, Coctio, est sola Res una est.
Vna sola & in, ipsa sola una; Initium, medium & finis.

Nil Alienum admittit, & absq; alieno perficitur,
ECCE in Mercurio est, quod quærunt sapientes.

FONTINA DIAPHANA.

Duplex Mercurius.

Rotatio Sphæræ omnium Planetarum.
Et Ens in Momento Fumigans Nigrum à

LUCENTE

MORS ET VITA.

Regeneratio cum Renophatione.

Initium fixionis, Medium & Finis.

Summa & Fundamentum totius secreti Magici.

R. Quinti Esse Macro: & Microcosmi, sive Mercurij Philosophici

ignis invisibilis Cœlestis vivi
salis Metallorum ana q. s.

Fiat arte Magi-philosophica rotando, solvendo coagulando & fixando.

MEDICINA SUMMA

in qua

Sapientia major: sanitas perfecta: & opes plus sufficientes:

Omnia ab uno, & omnia ad unum
Festinatio & ostentatio ad Orcum.

Dictum sat,

De simplici & plano; rejecta omni malitia
Pathmos obstaculum.

Fiat voluntas JEHOVÆ

Soli Deo Gloria.

Perignem denùm
Nomen & ætas
paVLVS.

FINIS.

I. SPIGEL DER KVNST VND NATVR.


Z ANFANG. EXALTATION.
PHILOSOPHI.
ASTRONOMI.
ALCHIIMI.
VIRTVTES.
CABALA
Mercurius
Luna
Natur
Kupffer
Ofrum
Potabile
Iouis
Quinta Esse.
Haupt des Rabi.
Grad der △
Reris
Saturnac
Fach des Wercks
Eisen
Trigonal
Vitriol
Dracken Blut
Chaym
Zinober
Aurum
Blei
Iouis
Eisen
R.C.

3. MITTEL: CONIVNCTION.
IGNIS.
AERIS.
AQVÆ.
TERRÆ.
TINCTVR.
COAGVLATION.
DISTILLATION.
PVTREFACTION.
SOLVTION.
SVBLIMATION.
CALTINATION.



4. ENDT. MVLTIPLICATION.



8.24

c/

Wm BRYAN, Born MAY 4th 1755 M.
Mid-day

Given by the Arch-Angel
GABRIEL
July the 1st 1789

The King will not Laugh, when thy GOD, to bring about His Reign, will tear the Vail of Error and place in thy hands his Prodigies. Then the Ire of Heaven will shake his heart, and his Spirit agitated by fear, Son of Happiness, will call thee, and his Soul having become submissive will add the most brilliant success to the successes of thy Zeal. Pray my Son, Love thy God; Glorify Mary, it is by Her Name that thou shalt opperate that astonishing Prodegy; and the Eternal will recompence thee as if out of thyself had come forth the strength and the Virtue which are to opperate it by the Prayer of MARY.